

moriam meae. Hinc sunt et illa omnia, quae de doctrinis liberalibus percepta nondum exciderunt, quasi remota interiore loco, non loca, nec eorum imagines, sed res ipsas gero. Nam quid sit literatura, quid peritia disputandi, quot genera quaestionum, quidquid horum scio, sic est in memoria mea, ut non retenta imagine rem foris reliquerim, aut sonuerit et praeterierit, sicut vox impressa per aures vestigio, quo recollitur quasi sonaret, cum jam non sonaret; aut sicut odor, dum transit et evanescit in ventos, olfactum adficit, unde trajicit in memoriam imaginem sui, quam reminiscendo repetamus; aut sicut cibus, qui certe in ventre jam non sapit, et tamen in memoria quasi sapit; aut sicut aliquid, quod corpore tangendo sentitur, quod etiam separatum a nobis imaginatur memoria. Istae quippe res non intromittuntur ad eam, sed earum solae imagines mira celeritate capiuntur, et miris tanquam cellis reponuntur, et mirabiliter recordando profertur.

CAP. X. DISCIPLINAE IN MEMORIAM NON INTRODUCUNTUR PER SENSUS, SED EX EJUS ABDITIORE LOCO ERUUNTUR.

At vero cum audio tria genera esse quaestionum: an sit, quid sit, quale sit, sonorum quidem, quibus haec verba confecta sunt, imagines teneo, et eos per aures cum strepitu transiisse, ac jam non esse scio; res vero ipsas, quae illis significantur sonis, neque ullo sensu corporis adtigi, nec usquam vidi praeter animum meum; et in memoria recondidi, non imagines earum, sed ipsas: quae unde ad me intraverint, dicant, si possunt. Nam percurro januas omnes carnis meae, nec invenio, qua earum ingressae sint. Quippe oculi dicunt: si coloratae sunt, nos eas nuntiavimus. Aures dicunt: si sonuerunt, a nobis indicatae sunt. Nares dicunt: si oluerunt, per nos transierunt. Dicit etiam sensus gustandi: si sapor non est, nihil me interrogas. Tactus dicit: si corpulentum non est, non contrectavi; si non contrectavi, non indicavi.